AUTHOR:

OBERDICK, JOHANNES

TITLE:

"CURAE AESCHYLEAE"

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1885]

Master Negative #

91-80249-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Oberdick, Johannes, 1835-
..."Curae Aeschyleae" scripsit Dr. Johannes Oberdick... Vratislaviae, typis R. Nischkowsky, [1885]
11 p. 26 cm.

Academic programme, 1885.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19 INITIALS BD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202











VIRO

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

JULIO SOMMERBRODT

PHILOSOPHIAE DOCTORI, AQUILAE RUBRAE III. CLASSIS
CUM LEMNISCO EQUITI,

REGI BORUSSORUM AUGUSTISSIMO POTENTISSIMO
A CONSILIIS INTIMIS

DE REBUS SCHOLASTICIS LITTERISQUE OPTIME MERITO

DIEM SOLLEMNEM XXVII. APRILIS MENSIS ANNI MDCCCXXXV.

QUO DIE ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES ASCENDIT

QUA FAS EST OBSERVANTIA ET VENERATIONE

GRATULANTUR

**DIRECTOR ET COLLEGAE GYMNASII REGII CATHOLICORUM
AD AEDEM ST. MATTHIAE.**

„CURAE AESCHYLEAE." SCRIPSIT DR. JOHANNES OBERDICK, GYMNASII DIRECTOR.

VRATISLAVIAE,
TYPIS ROBERTI NISCHKOWSKY.

Vir clarissime doctissime perillustris!

Permulti cum undique adsint pio gratoque animo Tibi gratulantes festum hunc diem, quo ante hos quinquaginta annos summos in philosophia honores maxima cum laude adeptus es, nobis et ipsis virtutes Tuas fas est celebrare. Alii enim artius licet Tibi muneris et officii necessitudine sint iuncti, tamen nos quoque omnesque qui huius ordinis sunt Te, Vir Spectatissime, decet colere atque vereri.

Nam quis est philologorum, quin ex ea quam in litteris antiquis posuisti cura fructus uberrimos laetissimosque perceperit aut percipiat? Quid? Tu nonne de Luciano Samosateno optime meritus illius opera selecta puerorum studiis obtulisti? Id quantum valeat ad adulescentium animos emendandos et excolendos, eo maxime perspicitur, quod haud scio an nullus eius aetatis paene iam ad barbariem labentis scriptor depravatos aequalium mores acerbius castiget, nullus aeque excellat vel sermonis vel sententiarum elegantia. Optimo igitur iure libris manu scriptis diligentissime excussis, ut, quoad fieri posset, verum atque integrum Luciani sermonem restitueres, operam dedisti et res sententiasque accuratissima interpretatione illustrasti. Neque vero in his studiis quamvis haud sane levibus acquievisti, sed etiam in rebus scaenicis Graecorum et poëtis tragicis Graecis versatus es, deinde Ciceronis Catonem, librum bonae frugis plenum, abs Te pertractatum esse nemo

est qui nesciat. Sed si quis gravissimis negotiis distentus otium in litteris consumpsit, recte illud dici potest eum otiosum non fuisse, cum in otio esset.

Praeclarissima autem reperiuntur merita Tua in rempublicam. Summa enim industria, vigilantia, temperantia munere vel praeceptoris vel rectoris fungebaris, ut a Viadri fontibus usque ad litus maris Baltici laudes Tuae ferantur. A Rege deinceps Augustissimo et Potentissimo postquam consiliariis intimis adscriptus es, adhuc studia liberalia atque ingenua in hac provincia vigent auspiciis Tuis, qua in re quid sapientia, quid moderatio, quid aequitas valeret, egregium dedisti specimen.

Quae quidem si perpenderimus, quid mirum, quod decem lustra eximia cum dignitate peracta ex animi sententia congratulamur iidemque, ut Deus Optimus Maximus Te Tuosque ea qua probos solet benignitate prosequatur omnesque calamitates averruncet, omnibus votis precamur.

Quod bonum, felix, faustum fortunatumque sit.

Vratislaviae a. d. V. Kal. Maias MDCCCLXXXV.

Director et collegae gymnasii Regii catholicorum ad aedem St. Matthiae.

Curae Aeschyleae.

Aeschyli tragoediae cum et propter splendorem dictionis et gravitatem sententiarum et praeclaram artem cum in condendis fabulis personisque describendis, tum in carminibus fundendis expoliendisque enitentem dignissimae sint, quae summo cum studio et legantur et cognoscantur, maximopere est dolendum, quod poetae verba multis locis vel corrupta videntur vel socordius tradita. Quamquam enim in scholiis veteribusque lexicis egregia nobis suppetunt auxilia, quibus nisi in emendandis illius poetae tragoediis haud frustra elaboremus, tamen scholia ipsa vehementer esse depravata et adhuc[1]) non recte ex codice Mediceo descripta qui suis ipsius studiis non est assecutus ex Heimsoethii epistula Florentina perdiscere poterit.

Neque vero nisi qui harum rerum rudis ignarusque est dubitabit quin eruditi homines iis doctrinae praesidiis quae tum praesto erant instructi et scholia et ipsius poetae verba multifariam emendaverint atque correxerint. Itaque vix putabis esse homines qui in edendis Aeschyli tragoediis desudent suis solis contenti studiis et viis iam detritis ambulantes immodica sui aestimatione naribusque suspensis vertices late conspicuos tollant eaque legere spernant quae iam antea ea de re aliorum diligentia eruta et prolixe exposita in libris doctorum hominum passim exstant.

Ac primum quidem qui scholia vetera adhibent ad emendandas poetae fabulas haud oblivisci debent ne ea quidem omnia eiusdem pretii esse quae in codice

1) Nuper N. Weckleinius Aeschyli fabulas „cum lectionibus et scholiis codicis Medicei et in Agamemnonem codicis Florentini ab Hieronymo Vitelli denuo collatis“ edidit Berolini apud S. Calvary eiusque socium MDCCCLXXXV, qua collatione vera scholiorum forma videtur restituta esse. De hoc libro alio loco accuratius fusiusque agam.

Mediceo tradita sint scholia. Quae cum ex compluribus hypomnematis sint conflata, antequam iis uteris, necesse erit caute diligenterque inquiras qualis sit vis singulorum atque potestas. Neque dubium esse potest, quin ea scholia, quibus poetae verba circuitu quasi eloquendi reddantur, vetustiora sint quam ea quae in explananda grammatica verborum structura versentur, qualia sunt omnia quibus affixa inveniuntur verba τὸ ἑξῆς[1]). Ab hoc autem grammatico aperte originem ducunt quae ad Pers. v. 127 in cod. Med. adscripta leguntur: „Καταλελοίπασι τὴν πόλιν ἀκολουθοῦντες Ξέρξῃ ὡς μέλισσαι τὸ σμῆνος“, licet illa verba addita non sint. Quis enim est cui non pateat hunc grammaticum, quem posteriorem putamus fuisse, in explicanda versari scriptura μελισσᾶν quam in cod. Cantabr. mansisse omnes viderunt interpretes praeter Kirchhoffium. Is enim deceptus scholio quod modo attuli, cum quid valerent scholia ad emendandas Aeschyli fabulas non reputasset, μέλισσαι in textum male intulit. Neque enim quemquam fugere poterit illud μέλισσα quod in cod. Mediceo legitur ortum esse ex dorica genitivi pluralis forma μελισσᾶν, quam cum parum intellegeret mendosam existimaverit διορθωτής. Ubi vero ab illo scholiasta, quem περιφραστικῶς in explicandis poetae verbis versatum esse docuimus ita quidem, ut poeticam dictionem in pedestrem mutaret verbum verbo reddens, explicatio adhibetur, qua certa quaedam indicatur lectio, eam scriptam fuisse in ipso illo libro quo cum conderet scholia usus sit scholiastes dilucide apparet. Eiusmodi patet esse scholion quod ad Persarum v. 815 „κοὐδέπω κακῶν κρηπὶς ὕπεστιν ἀλλ' ἔτ' ἐκπαιδεύεται,“ legitur: αὔξεται τὰ κακά. Licet acutissima sit Schuetzii coniectura ἐκπιδύεται pro ἐκπαιδεύεται, tamen, cum αὔξεται scriberet scholiastes, illud verbum oculis eius obversari non potuisse manifestum est. Quare ἐκπληθύεται ortum esse a poeta sagaciter indicat Paleius. Aliam autem scholio supra memorato indicari scripturam ex Hesychii lexico apparet. Nam inde quod ibi glossa reperitur „ἁδρύνεσθαι· αὔξεσθαι τοὺς στάχυας“ luculenter patet scholiastam qui eandem adhibet explicationem verbi de quo agimus nunc in libris corrupti ante oculos habuisse: „ἀλλ' ἔτ' ἐξαδρύνεται, quam meam emendationem in editione Persarum a. 1876 a me instituta proposui. Quam arte enim cohaereant Hesychii glossae cum scholiis Aeschyleis alio loco accuratius exposui (cf. Suppl. praef. p. 24 Berol. 1869). Suo autem more poeta loco quem tractavimus designavit imaginem aristarum quam paulo infra v. 821 seq. fusius est persecutus.

2. Neque qui scholiorum indolem bene cognoverit dubitabit quin scholiastes Choeph. versum 53, qui in libris ita traditur „φοβεῖται δέ τις τὸ δ' εὐτυχεῖν“ talem

1) Cf. Aeschyl. Suppl. edit. quam institui Berolini MDCCCLIX apud J. Guttentag praef. p. 12, quem librum silentio praeteriisse miror Martinum Sorofium in dissertatione quae inscribitur: „De ratione quae inter eos codices recentiores, quibus Aeschyli fabulae Prometheus, Septem adv. Thebas, Persae, continentur, et codicem Laurentianum intercedat“, Berolini MDCCCLXXXII.

viderit „φοβεῖται δέ τις τόδ' (τις τόδ' Musgravius) ἐχθροεῖν,“ cum adscripserit explicandi causa: ἀντὶ τοῦ ἕκαστος φοβεῖται φθέγξασθαι. Nam φθέγξασθαι ut interpretatio verbi εὐτυχεῖν nulla est, ita aptissime quadrat ad verbum ἐχθροεῖν quod ab ipso poeta profectum esse non est cur negemus. Eximie enim confirmatur haec mea emendatio, quam breviter tetigi in censura libelli a Carolo Freiio scripti „Aeschylus-Studien“ (cf. Kritische Studien. Monasterii 1884 pag. 52), iis quae in stropha leguntur: φοβοῦμαι δ' ἔπος τόδ' ἐκβαλεῖν. Inde vero quod mira inest et verborum et sententiarum concinnitas in stropha et in antistropho, qua de re legas velim egregiam A. Rossbachii commentationem de Choephororum locis nonnullis (Vratisl. 1859), effici videtur interpunctione post ἐχθροεῖν posita in sequenti versu τί δ' pro τόδ' legendum esse. Verba autem „τί δ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον;“ Graecis hominibus in proverbio fuisse inde quod scholiastes γνωμικῶς adscripsit probe intellegimus. Cui locutioni similia sunt quae Sophocles Oed. Tyr. v. 271 dicit:

ἀλλὰ τῷ πότμῳ
τῷ νῦν φθερεῖσθαι κἄτι τοῦδ' ἐχθίονι.

Coniunxit autem poeta pronomen interrogativum τί cum particula adversativa δέ, ut Suppl. v. 1057 τί δὲ μέλλω φρένα Δίαν καθορᾶν; et Eum. v. 604 τί δ' οὐκ ἐκείνην ζῶσαν ἤλαυνες φυγῇ. Quibus acceptis emendationibus stropham et antistrophum hic reponere volo servato versuum ordine a Rossbachio praeclare constituto, ut concinnitatem quam diximus ipsis oculis agnoscere possis:

στρ.	ἀντιστρ.
τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν	σέβας δ' ἄμαχον, ἀδάματον, ἀπόλεμον τὸ πρίν
ἰὼ γαῖα μαῖα μωμένα	δι' ὤτων φρενός τε δαμίας
μ' ἰάλλει δύσθεος γυνά.	περαῖνον νῦν ἀφίσταται.
φοβοῦμαι δ' ἔπος τόδ' ἐκβαλεῖν·	φοβεῖται δέ τις τόδ' ἐχθροεῖν·
τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδοι;	τί δ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον;

3. In constituendo primo tragoediae Aeschyleae quae Septem adversus Thebas inscribitur cantico chorico Westphalum (de primo septem ducum contra Thebas cantico chorico, Vratisl. 1859. Proleg. Lips. 1869 p. 167 seq.) et Rossbachium (de Eumen. antichoriis comment. Vratisl. 1860 p. 11) quasi antesignanos secutus sum, quippe cum id ab his viris doctissimis haud dubie recte laetissimoque cum fructu tractatum sit. Ex iis autem quae ibi disputata invenies priorem efficitur carminis partem ἀπολελυμένως compositam esse et recitatam a coryphaeis qui vices alternant. Quam coryphaeis recte adscripsit Westphalus praeter tres

ultimos versus, quorum alterum priori coryphaeo adtribuendam esse patet. Congruere autem has particulas numero ordinum metricorum, non congruere pedum numero et forma eosque versus dochmiacos more systematum anapaesticorum conformatos esse Westphalus ostendit. Qui dum recitantur, chorus in orchestram descendit. Perperam autem primum versum mutilum esse censet Dindorfius, qui ut dochmios efficiat quattuor breves syllabas intercidisse vult. Immo vero tripodiam esse anapaesticam patet ut Eum. v. 130 λάβε, λάβε, λάβε, λάβε, φράζου a totoque choro tamquam προοδικόν cantatum. Mediam carminis partem inter hemichoria recte divisit Westphalus. Ultimam syzygiam a toto choro esse cantatam idem optimo iure docuit. Alii aliter de hoc carmine iudicaverunt, qua de re legas velim quae Weckleinius in Philol. tom. XXXIV. a. 1876 pag. 305 seq. diligentissime collegit. Postea scripserunt et F. Heimsoethius (de parodi in Aeschyli fabula Thebana conformatione. Bonnae 1876) et F. Buecheler (de Septem Aeschylea. Mus. Rhen. 1877 p. 312 seq.). Nullius pretii sunt quae M. Schmidtius de hoc carmine allucinatus est (Bull. de l'Académie etc. de St. Petersburg tom. XXVI. p. 44—69). Vide sis quae contra turbulentum hominem disputavit Weckleinius (Burs. ann. 1881 pag. 8 seq.). Similiter atque Schmidtius inter duodecim choreutas divisit carmen Chr. Muffius (Der Chor in den Sieben des Aeschylus, Stettin 1882. Progr. des König Wilhelms-Gymnasiums). Neque praetermittenda sunt, quae N. Weckleinius hoc de carmine exposuit in libello qui inscribitur: Ueber die Technik und den Vortrag der Chorgesänge des Aeschylus. Leipzig 1882 pag. 218 et pag. 226 seq.

4. Quibus rebus expositis iam totum carmen adscribere volo.

Χορὸς παρθένων.
θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.

A. μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών·
ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας·
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.
B. ἐλέδεμας ῥοὰ πεδίου ὁπλότυπος
ποτιχρίμπτεται, ἀμαχέτου δίκαν
ὕδατος ὀροτύπου· βοᾷ δ' ὑπὲρ τειχέων
λεύκασπις λεὼς ὄρνυται εὐπρεπής.
A. ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαὶ ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε.
B. τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει θεῶν ἢ θεᾶν;
A. πότερα δῆτ' ἐγὼ πάτρια ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων;
B. ἰὼ μάκαρες εὔεδροι, ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγαστόνοι;

A. ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον;
πέπλων καὶ στεφέων πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λίταν' ἕξομεν;
B. κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός·
A. τί ῥέξεις, προδώσεις παλαίχθων Ἄρης τὰν τεὰν γᾶν;
B. ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν
τεάν, ἅν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.

στρ. α'.

A. θεοὶ πολιόχοι χθονὸς ἴθ' ἀθρόοι,
ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ·
κῦμα περὶ πτόλιν δοχμολοφᾶν ἀνδρῶν
καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρμενον.
B. ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ παντελές, ἐντελῶς
ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.
A. Ἀργέϊοι δὲ πόλισμα Κάδμου
κυκλοῦνται· φόβος δ' ἀρείων ὅπλων
λιάζει· δετοὶ γένυσιν ἱππίαις
κινύρονται φόνον χαλινοί.
B. ἑπτὰ δ' ἀγάνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσοῖς σαγαῖς πύλαις ἑβδόμαις
. . . .
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.

ἀντιστρ. α'.

A. σύ τ' ὦ Διογενὲς φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπολις γενοῦ, Παλλὰς ὅ θ' ἵππιος παντομέδων ἄναξ,
ἰχθυβόλῳ μαχάν ἀποσοβῶν κέντρῳ,
Ποσειδὰν φόβων ἐπίλυσιν δίδου.
B. σύ τ' Ἄρης πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον
φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.
A. καὶ Κύπρις, ἅτε γένους προμάτωρ,
ἄλευσον· σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος
γεγόναμεν· λιταῖσί σε θεοκλύτοις
ἀϋτοῦσαι πελαζόμεσθα·
B. καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ
στρατῷ δαΐῳ στόνων ἀπύᾳ·
σύ τ' ὦ Λατωΐα
κόρα, τόξοισιν εὖ τοχάζου.

στρ. β'.

A. ἐή, ἐή,
ὄτοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω,
ὦ πότνι' Ἥρα·
ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.
B. Ἄρτεμι φίλα, ἐή,
δοριτίνακτος αἰθὴρ ἐπιμαίνεται.
τί πόλις ἄμμι πάσχει, τί γενήσεται;
ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;

ἀντιστρ. β'.

A. ἐή, ἐή,
ἀκροβόλων ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται.
ὦ φίλ' Ἄπολλον,
κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων,
B. παῖ Διὸς ἐπιτίθει
πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ.
σύ τε, μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα πρὸ πτόλεως,
ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.

στρ. γ'.

A. B. ἰὼ παναρκεῖς θεοί,
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς τᾶσδε πυργοφύλακες,
πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ' ἑτεροφώνῳ στρατῷ,
κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως
χειροτόνους λιτάς.

ἀντιστρ. γ'.

A. B. ἰὼ φίλοι δαίμονες,
λυτήριοί τ' ἀμφιβάντες πόλιν δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις,
μέλεσθέ θ' ἱερῶν δημίων, μελόμενοι δ' ἀρήξατε·
φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
μνήστορες ἔστε μοι.

5. Quibus breves adnotationes adpingere volo, cum alio loco accuratiorem carminis explicationem instituere in animo habeam.

v. 78 $\overset{o}{\chi}$ $\overset{\theta}{\pi\alpha\rho}$ i. e. χορὸς παρθένων praescriptum est in M. θρέομαι φοβερά: θρηνῶ, βοῶ. εὐπτόητον δὲ ἡ τῶν παρθένων ἡλικία πρὸς φόβον, μάλιστα δὲ πρὸς πολιορκίαν. schol. M. Verba πρὸς φόβον deleri vult Weckleinius; sed alterum πρὸς iteratione antecedentis praepositionis ortum in παρὰ mutandum esse apertum est. v. 79. Praefixum est in M. siglum X, quod litteram χ aperte significat. Quid autem hoc signum sibi velit ex scholio ad hunc versum apparet: τὸ δὲ χ πρὸς τὴν διαφορὰν τοῦ στρατοῦ καὶ τοῦ στρατοπέδου. στρατόπεδον γὰρ καλεῖται τὸ ἐνδιαίτημα τοῦ στρατοῦ. Quod scholion ab Aristarcho profectum esse videtur. Cf. Lehrs, de Arist. stud. Hom. p. 29. v. 80. ῥεῖ — cf. Pers. 87. ῥεύματι φωτῶν. Nota est metaphora de similitudine inter militum agmen ingrediens sumpta et flatus seu fluminis turbidi seu maris ventorum impetu exagitati. v. 81. αἰθερία κόνις i. e. pulvis in aera sublatus, quem conspiciunt virgines in arce urbis constitutae. v. 82 ἄγγελος — metaphorice pulverem nuntium dicit poeta. cf. Suppl. v. 180. ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ. v. 83 ἔλεδέμασ (ἔλεδέμασ apud Weckleinium; ἐλεδεμὰσ, ν super μ scripto M 2) πεδιοπλοκτύποσ τὶ χρίμπτεται βοᾶι M. ἐλέδεμας Hermannus. πεδίου ὁπλότυπος Westphalus. ποτιχρίμπτεται Dindorfius et ita scholiastes, qui in his interpretandis verbo προσπελάζειν utatur. Quod sequitur βοᾶ (eraso ι post α) post vocem ἐλέδεμας inserui. Patet autem corruptum esse vocabulum ex ῥοὰ, quod solum imagini qua usus est poeta aptum est. Verba ποτᾶται βρέμει δ', quae deinde in libris scripta inveniuntur, delevi, cum prius interpretamentum sit antecedentis verbi ποτιχρίμπτεται, alterum autem ad explanandam imaginem turgidi torrentis suo more additum a scholiasta. ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος — instar torrentis; ἀμαχέτου — cum omnia quae obvia sunt secum rapiat. Cf. Ovid. Metam. III, 568 torrentem qua nil obstabat eunti. De imagine cf. Lucret. I, 256. Virg. Aen. I, 245. II, 304, 497. Hom. Il. 2, 209; 4, 452; 5, 87; 11, 492. Falsissimus est in tractando hoc versu Heimsoethius, qui „βρέμει δ' ἀχετᾶν ὀροτύπων δίκαν" scribit. Tum verba βοᾶι — usque ad διώκων, quae in M. post ἀλεύσατε falso sunt scripta, post vocem ὀροτύπου inseruit Westphalus. Quam probo emendationem nisi quod verba ἐπὶ πτόλιν διώκων aliena a nostro loco delenda esse existimo haud dubie ex scholio orta; διώκων iam Rothe et Dindorfius repudiaverunt. βοᾶι eraso ι M. εὐτρεπήσ M. εὐπρεπής Ox. Ven. A. v. 87 ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ M. ἰὼ, ἰὼ rec. secundum Weckleinium. v. 89 ὀρόμενον M. ὄρμενον Enger. ἀλεύσετε M., α super prius ε scripto a m. 1 (Wecklein). v. 95 πάτρια, quae vox iam Engero in mentem venerat, cum scholiasta M., qui τῶν πατρῴων ξοάνων habet, sagacissime addidit Westphalus. v. 101. Voce στεφάνων erasa στεφέων M. v. 102 ἀμφίλιταν (ἀμφὶ λιτάν m 1) M. ἀμφὶ λίταν' Seidler. „Quando nisi nunc supplicum vestes et coronas induemus?" v. 105 τὰν τεάν M. γᾶν τεάν rec. (sec. Weckl.) τὰν τεὰν γᾶν cum nonnullis libris recentioribus Blomfieldus. v. 106 δαίμων M. δαῖμον corr. in M. v. 107 τεὰν post πόλιν inseruit Lachmannus. v. 110. πολιάοχοι M. πολίοχοι Dindorfius. Rariorem dochmii formam tuentur antistrophica, in quibus idem est dochmius secunda arsi soluta. — χθονὸς . . ἴθ' (super θ scripto τ) ἴτε πάντεσ M. Ex littera θ, qua prius ἴτε scriptum est, peracute colligit Westphalus evanuisse in M. vocabulum aliquod a spiritu

aspero exordiens et esse ἴτε πάντες genuinae scripturae ἴθ' ἀθρόοι interpretationem, quae in textum se insinuaverit coll. Hesych. ἀθρόα· ὁμοῦ· πάντα. Cf. Hesych. ἀθρόως· ὁμοῦ. Hom. Il. 2, 439 ἡμεῖς δ' ἀθρόοι ὧδε κατὰ στρατὸν εὐρὺν 'Αχαιῶν ἴομεν. Il. 14, 38 κίον ἀθρόοι. Hiulcum autem verborum concursum qui hac emendatione accepta oriri videtur Westphalus excusare non potest. Sed videtur esse hiatus neque est. Incipit enim ἴδετε verbum quod sequitur a digammate, quae littera Aeschyli temporibus suo sono enuntiabatur. Cf. Pind. Ol. 13, 49 ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ Aeschyl. Pers. 657 ἴθι ἱκοῦ Soph. O. R. 959 εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα, id. Trach. 650 ἃ δέ οἱ φίλα δάμαρ Arist. Pac. 373 εὖ ἴσθ' ὅτι, id. Equ. 438 εὖ οἶδα, Cratin. Com. (Plut. vit. Pericl. 24) Ἥραν τέ οἱ 'Ασπασίαν τίκτει. Neque est dubium quin ionica forma adiectivi ἄκων, qua Aeschylus (Suppl. 40 τήνδ' ἀεκόντων ἐπιβῆναι) et Sophocles (Trach. 1263 τελέως ἀεκούσιον ἔργον) usi sunt, inde nascitur, quod tum temporis alterum vocis compositae membrum digammate efferebatur. Quare in Aeschyl. Prom. v. 277 οὐκ ἀεκούσαις ἐπεθώϋξας pro οὐκ ἀκούσαις etc. scribendum esse puto. Huc etiam Aeschyl. Sept. v. 725 βλαψίφρονος Οἰδιπόδα· pertinere videtur, ubi ultimam vocis βλαψίφρονος syllabam longam esse metro indicatur. v. 112. δουλοσύνας ὕπερ — ad averruncandam servitutem. v. 113 κῦμα γὰρ M. κῦμα, deleto γάρ, Klausen et G. C. W. Schneider. v. 114 δοχμολόφων M. δοχμολοφᾶν Brunckius. v. 115 ὀρόμενον M. ὄρμενον Enger. Cf. Agam. 1408 ἐξ ἁλὸς ὄρμενον, Suppl. 421 ὀρμέναν. v. 118 πάτερ παντελέσ, πάντωσ M. πάτερ παντελὲς, ἐντελῶς Oberd. ἐντελῶς· τελείως Hesych. v. 119 ἄρηξον — alias „auxiliari“ h. l. valet „arcere“. Dicit igitur poeta: propulsa hostium expugnationem i. e. obsta ne hostes urbem expugnent. Cf. Eurip. Med. 1275 ἀρῆξαι φόνον δοκεῖ μοι τέκνοις. Troad. 776 παιδί τ' οὐ δυναίμεθ' ἂν θάνατον ἀρῆξαι. Heracl. 840 οὐκ ἀρήξετ' αἰσχύνην πόλει; v. 120 'Αργεῖοι M. 'Αργέϊοι Hermannus coll. Agam. 123 'Ατρεΐδας. v. 121 κυκλοῦνται media forma est. Cf. Pers. 458 ἀμφὶ δὲ κυκλοῦντο πᾶσαν νῆσον. v. 121 ἀρηΐων M. ἀρείων Blomfieldus. v. 122 διαδέτοι γενύων ἱππείων M. διάδετοι in marg. m 1. Si antistrophica respexerimus, interpunctionem quae est in M. post ὅπλων tollendam videbimus et oblitteratum esse verbum finitum. Quod scholiastes legit, qui λείπει ἡ ὑπό. ὁ ὑπὸ 'Αρηΐων ὅπλων φόβος ταράσσει adscripsit. Hoc autem ταράσσει interpretamentum esse verbi λιάζει et ex vestigiis codicis M., in quo litterae ΔΙΑ servatae sunt et ex glossa Hesychii λιάζει· ῥίπτει, ταράσσει. ἣ λίαν σπουδάζει sagacissime enucleavit Westphalus. „metus autem hostilium armorum perturbat nos.“ Tum γενύων ἱππείων M. δετοὶ γένυσιν ἱππίαις Westphalus. „freni autem maxillis equorum illigati caedem strident“ i. e. crepitu caedem futuram denuntiant. v. 123 Male φόνον in nonnullis libris scriptum est. v. 124 „Septem autem duces fortissimi insignes prae toto exercitu armatura hastas vibranti septem portas obsident, sorte nacti“. ἀγήνορεσ M. Doricam formam ἀγάνορες restituit Dindorfius. Quae vox hic vim substantivi habet. — πρέποντες στρατοῦ — Genitivus

pendet a πρέποντες. Cf. Matth. Gr. § 334. v. 125 δορυσσόοισ et post rasuram quinque litterarum σ M. σαγαῖσ sec. m. δορυσσοῖς Blomfieldus. Significat autem haec locutio arma, qualia ii gerunt qui hastas mittunt, i. e. hoplitae. Qua traiectione adiectivi saepissime utitur poeta. Cf. Pers. 240 φεράσπιδες σαγαί. — πύλαισ ἑβδόμαις i. e. πύλαις ἑπτὰ, ut Soph. Antig. 141 ἑπτὰ λοχαγοὶ ἐφ' ἑπτὰ πύλαις ταχθέντες. ἕβδομος autem hic positum est pro universo numero septenario. Cf. Hom. Il. 8, 404 ἐς δεκάτους ἐνιαυτούς i. e. ἐς δέκα ἐνιαυτούς, ut scholiastes locum explicat. Aelian. de anim. XI c. 9 p. 647 τετάρτων δεῖ μηνῶν ἐν γάλαξι τόνδε εἶναι τὸν μόσχον. Post haec verba unum intercidisse versum vidit Westphalus. πάλῳ λαχόντες i. e. sorte nacti sc. portas. Cf. v. 55. v. 128 seq. Et tu, o Jove genitum pugnae amans robur, Pallas, urbis conservatrix fias. — ὦ κράτος — periphrastice dictum pro „o potens filia Jovis“. Similiter κράτος de eo saepius exhibetur qui imperium tenet. Cf. Suppl. 525 τελέων τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ. Agam. 109 'Αχαιῶν δίθρονον κράτος ibid. 619 τῆσδε γῆς φίλον κράτος Eur. Rhes. 821 ὦ πολίοχον κράτος. v. 129 ῥυσίπτολισ M. alii. ῥυσίπολις Lips. Mosc. 1. Quae cod. Med. scriptura originem ducit ex nomine ἐρυσίπτολις sive ῥυσίπτολις, quo appellatur Minerva. Cf. Il. 6, 305 πότνι' 'Αθηναίη, ἐρυσίπτολι, ubi ab E. Bekkero cum schol. ῥυσίπτολι legitur. v. 130 ὁ θ' ἵππιος παντομέδων ἄναξ — Nominativus cum articulo loco vocativi usurpatur. Cf. Sept. 70 'Αρά τ' 'Ερινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής. Pers. 155 μῆτερ ἡ Ξέρξου γεραιά, ubi articulus vocativo appositus est. ibid. 832 σὺ δ' ὦ γεραιὰ μῆτερ ἡ Ξέρξου φίλη. Ag. 509 ὕπατός τε χώρας Ζεὺς, ὁ Πύθιός τ' ἄναξ ibid. 1657 στείχεθ' οἱ γέροντες ἤδη πρὸς δόμους (στείχετε δ' οἱ libr.). v. 131 seq. ἰχθυβόλωι μαχανᾶ (super utrumque α scripto H) Ποσειδᾶν ἐπίλυσιν φόνων (superscr. βου) ἐπίλυσιν διδοῦ M. Prius ἐπίλυσιν delevit Westphalus; φόβου quod in Med. est interpretationem esse genuinae lectionis φόβων vidit Heimsoethius coll. v. 270 — ἰχθυβόλῳ μάχαν ἀποσόβει κέντρῳ Merkelius. Quam accepi emendationem nisi quod ἀποσόβει in ἀποσοβῶν mutavi, cum solum participium grammaticae huius loci constructioni conveniat. v. 135 σύ τ' Ἄρης φεῦ φεῦ ἐπώνυμον Κάδμου πόλιν M. Interiectionibus φεῦ φεῦ eiectis σύ τ' Ἄρης Κάδμου πόλιν ἐπώνυμον scripsit Dindorfius, σύ τ' Ἄρης πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον responsionis causa Oberd. „Serva urbem quae nomen a Cadmo traxit“. Dicit autem haec chorus, ut Martem, qui Harmoniae, Cadmi uxoris, pater fuit, ad misericordiam adduceret. v. 136 κήδεσαί τ' ἐναργῶς — prospice urbi, ut cura tua manifesta fiat. v. 140—144. Et tu, Cypris, quae quidem generis nostri progenitrix es, averte (sc. calamitatem). Tuo enim ex sanguine natae sumus. Votis supplicibus te invocantes accedimus ad te. v. 141 σέθεν M. σέθεν γὰρ recc. v. 142 λιταῖσ M. λιταῖσί Hermannus. — v. 144 ἀπύουσαι M. ἀΰτοῦσαι Seidlerus. Πελαζόμεσθα — accedunt enim virgines ad simulacrum deae. v. 146 στόνων ἀΰτᾶσ M. στόνων ἀπύᾳ Hermannus coll. Hesych. ἠπύη· φωνή. Aeque dativus adhibetur infra v. 320

πόλεος ῥύτορες ἔλθετ᾽ . . . ὀξυγόοις λιταῖσιν. v. 149 σύ τ᾽ ὦ λατογένεια κοῦρα τόξον . . . τυκάζου (ἐν sec. m. in litura) ἄρτεμι φίλα M. Verba ἄρτεμι φίλα errore librarii ex v. 155 huc illata exterminavit Seidler. Λατωΐα κόρα Wilde. τόξοισιν Westphalus. εὖ τυχάζου coll. Hesych. τυχάζεσθαι· στοχάζεσθαι Hartungus. v. 151 ἐ ἐ ἐ ἑ M. ἐὴ ἐή Dindorfius. v. 151—152 „Sonitum curruum circa urbem audio, o potens Juno." ὦ πότνια ἥρα (corr. ex ἥρη) M. Versus est monometer anapaesticus (– ⏑⏑ – –)· v. 153, 154 „Insonuere rotarum fistulae sub axium onere, o bona Diana." — Ultimus strophae versus est dimeter iambicus, cuius forma haec est: – ⏑⏑ ⏑⏑⏑– ⏑–. v. 159 ἐ ἐ ἐ ἔ M. „Lapidum autem imber petit propugnacula superne percussa." ἔρχεσθαι hic cum genitivo coniunctum est ex analogia verborum ἐπιθυμεῖν, ὀρέγεσθαι, γλίχεσθαι, ἐφίεσθαι, στοχάζεσθαι, τιτύσκεσθαι, ἀκοντίζειν. Cf. Matth. § 350. Eodem modo dicitur ἐπαΐσσειν ἵππων Il. V, 263. ἐπαΐσσοντα νεῶν Il. 13, 687. Eurip. Bacch. 1096 πρῶτον μὲν αὐτοῦ χερμάδος κραταιβόλους ἔρριπτον. Cycl. 51. ῥίψω πέτρον τάχα σου. — ἀκρόβολοι ἐπάλξεις sunt propugnacula superne concussa (lapidibus ab hostibus coniectis). λιθάς est acervus sive imber lapidum, ut v. 300 χερμάς. Similiter formata sunt vocabula αἱμάς, profluvium sanguinis, Soph. Phil. 695, φυλλάς, folia strata, ibid. 33, νιφάς, vis creberrimae nivis, Prom. 993. Eurip. Androm. 1129 et improprie Aesch. Sept. 212. Male Heimsoethius ἀκροβόλων substantivum esse putat ut apud Hesychium: ἀκροβόλοι· ἀκοντισταί, τοξόται. v. 161 καὶ διόθεν M. παῖ Διὸς ὅθεν van den Bergh. παῖ Διὸς ἐπιτίθει Westphalus, quam probo emendationem. Ea enim accepta vocativus evadit, qui vocativo in stropha eodem loco posito respondet. Imperativum autem ἐπιτίθει, a quo pendeat accusativus qui sequitur τέλος, necessarium esse patet. De Apolline porro, ad quem oratio redit, aegide armato Troianisque opem ferenti cf. Il. XV, 221, 306 seq. v. 162 ἐν μάχαισί τε M. ἐν μάχᾳ, σύ τε Hermannus „fili Jovis, concede nobis bello perfectum faustum exitum in pugna!" v. 164 πρὸ πόλεωσ M. πρὸ πτόλεως Menge. ὑπὲρ Hermannus responsionis causa. — Ὄγκα cognomen fuit Minervae, cui prope urbem (cf. 501 ὄγκα Παλλὰς ἧδ᾽ Ἀγχίπτολις πύλαισι γείτων) ante portam Oncaeam (Ὀγκαΐδες πύλαι), quae etiam nominabatur Ὠγύγιαι πύλαι (cf. Ungerus in Theb. parod. vol. 1 p. 267) in vico Onca (ὄγκαι κώμη Θηβῶν, οὗ Κάδμος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἱδρύσατο schol. ad Lycophr. 1295. Pind. Ol. 2, 26) aedes sacrata erat. — v. 165 ἐπιρρύου — correpta est penultima syllaba. Cf. infr. v. 303 ῥύεσθε v. 824 ῥύεσθε Il. 15, 29 ῥυσάμην. v. 168 τᾶσδε recc. sec. Weckleinium. τᾶσδέγε M. „Nolite hanc urbem hasta laborantem (i. e. bello oppressam) exercitui peregrino (alia lingua utenti) tradere." ἑτεροφώνῳ M. Quam formam Paleius apud Jones pronuntiatam esse existimat ἑτεροφώνοϊ coll. Arist. Pac. 933 ἵν᾽ ἐν τἠκκλησίᾳ — ὡς χρὴ πολεμεῖν λέγων τις, οἱ καθήμενοι — ὑπὸ τοῦ δέους λέγωσ᾽ Ἰωνικῶς οἵ. et Pind. Isthm. VI s. f. Πυθόϊ. Sed hic videtur creticus dipodiae iambicae respondere. v. 172 χειροτόνους λιτάς — preces manus protendentes i. e. in quibus mittendis manus ad caelum protenduntur. — Adverbium πανδίκως bene tuetur Paleius coll. Suppl. v. 77 κλύετ᾽ εὖ τὸ δίκαιον κλύοντες, quem non fugit scholiastam verba πανδίκως χειροτόνους coniungi voluisse. v. 174 λυτήριοι M. λυτήριοί τ᾽ Seidlerus. ἀμφιβάντες, urbem cingentes i. e. tuentes. Cf. Hom. Il. 1, 37. v. 175 φιλοπόλιεσ M. φιλοπόλεις Wunderlichius. v. 176 μέλεσθεδ᾽ M. μέλεσθέ θ᾽, quod in libris nonnullis recentioribus traditur, Blomfieldus. v. 179 — ὄργια φιλόθυτα sunt sacra secretiora, in quibus multae victimae caeduntur. Pariter dictum est φιλοσπόνδου λίβους Choeph. 292.

Scribebam Vratislaviae.

Dr. Johannes Oberdick,
Gymnasii Regii Cathol. Director.